

*Magister Magistrorum:)* Album & rubeum ex una radice, nullo alterius generis corpore interveniente, pullulant.

*Hermes:)* Sicut omnes res factae fuerunt ex una sola re per potentiam supremam sementificam, & exiverunt à massa confusa, globosa, voluntate divina miraculosa: Sic lapis noster natus est, & exivit ab una compacta massa confusa, in qua omnia sua quatuor Elementa sunt contenta per naturam creata, de qua per voluntatem Dei & operationem natura noster lapis postea nascitur.

*Bernh. Trevis. )* Nostra medicina fit ex duabus rebus unius essentiae, id est, ex unione Mercuriali fixa & non fixa, spiritali & corporali, frigida & sicca, calida & humida, neq; ex alia re fieri potest.

*Alius:)* Lapis qui quaeritur unus est, medicina unica, nec plures esse possunt, Materia rei, sive lapidis unius, itidem unica nec multiplex est, nec in alia re totius mundi illa potentia propinqua invenitur, nec itidem in alia re illud secretum requiritur, nec habet sui similem in toto mundo. Unica illa materia est materia prima omnium Metallorum, nec factorum, sed fiendo-

D

rum,